Quelle: https://manuscripta.at/?ID=851
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Incipit liber Joheliis.

I.

Verbum domini quod factum est ad Johel
filium Bathuel. Audite hoc se-
nes. et auribus percipite omnes hi-
tatores terre. Si factum est istud in
diebus vestris aut in diebus patrum
vestrorum. Super filios vestros narrate. et filii
vestri filios suos. et filii eorum generationem alteram.
Residuum eruce comedit locusta. et resi-
duum locuste comedit bruchus. et residuum
bruchi comedit rubigo. Expergiscimini qui
bibitis. et flete et ululate omnes qui bibitis vinum
in dulcedine. quoniam perit ab ore vestro. Gens enim
ascendit super terram meam fortis et innumerabi-
lis. Dentes eius ut dentes leonis. et mo-
lares eius ut catuli leonis. Posuit vi-
neam meam in desertum. et ficum meam decorti-
cavit. Nudans spoliavit eam et projecit.
albi facti sunt rami eius. Plange quasi
virgo accincta sacco super virum pubertatis
sue. Periit sacrificium et libamen de domo domini
et luxerunt sacerdotes ministri domini. Depopu-
lata est regio. luxit humus quoniam devastatum est
triticum. Confusum est vinum. et elanguit oleum.
Confusi sunt agricole. ululaverunt vinitores super
frumento et hordeo. quoniam periit messis agri.
Vinea confusa est. et ficus elanguit. Malogranatum
et palma. et malum. omnia ligna agri aridaa
sunt. quoniam confusum est gaudium a filiis hominum.
Accingite vos et plangite sacerdotes. ulu-
late ministri altaris. Ingredimini cubate
in sacco ministri dei mei. quoniam interiit de domo dei
vestri sacrificium et libamen. Sanctificate jejunium.
vocate cetum congregate senes. et
omnes habitatores terre in domum dei vestri. Et
clamate ad dominum. Ah. Ah. Ah diei quoniam prope est dies domini. et
quasi vastitas a potente veniet. Nonne ecce coram oculis
vestris alimenta perierunt de domo dei vestri letitia et
exultatio. Putruerunt iumenta in stercore suo.
Demolita sunt horrea. dissipata sunt apotheca quoniam
confusum est triticum. Quomodo gemuerunt animalia mugi
erunt greges armentorum. quia non sunt pascua eis. pecora
greges pecorum dispersi sunt. Ad te domine clamabo.
quia ignis comedit speciosa deserti. et flamma succen-
dit omnia ligna regionis. Sed et bestie agri quasi ar-
tea siccens ymbrem. suspexerunt ad te. quoniam exsicca-
ti sunt fontes aquarum. et ignis devoravit speciosa deserti.

II.

Canite tuba in Sion
ululate in monte sancto meo. Contremiscant omnes
habitatores terre. quoniam venit dies domini. quoniam prope est dies
tenebrarum et caliginis. Dies nubis et turbinis
quasi mane expansum super montes. populus multus
et fortis. Similis huic ei similis a principio et post eum non
erit usque in annos generationis et generationis. Ante faciem
eius ignis vorans. et post eum exurens flamma. Quasi
ortus voluptatis terra coram eo. et post solitudo de-
serti. nec est qui effugiat eum. Species eius quasi
aspectus equorum. et quasi equites sic current. Sicut
sonitus quadrigarum super capita montium exilient.
sicut sonitus flamme ignis devorantis stipulam
velut populus fortis preparatus ad prelium. A facie eius
cruciabuntur populi. omnes vultus redigentur in ollam. Sicut
fortes current. sicut viri bellatores ascen-
dent murum. Vir in vias suas gradietur. et non
declinabitur a semitis suis. Unusquisque fratrem
suum non coartabit. singuli in calle suo ambulabunt.
Sed et per fenestras cadent. et non commotientur. urbem
ingredientur. in muro current. domos ascendent
per fenestras introibunt sicut fur. A facie eius tre-
muit terra. mota sunt celi. Sol et luna obtenebra-
ti sunt. et stelle retraxerunt splendorem suum. Et dedit
vocem suam in facie exercitus sui. quoniam multa
sunt castra eius nimis. et fortia et faciencia ~~verbum~~
verbum eius. Magnus enim dies domini terribilis valde. et quis
sustinebit eum. Nunc ergo aiunt dominus. Convertimini ad me in to-
to corde vestro in jejunio et fletu et plan-
tu. et scindite corda vestra et non vestimenta vestra.
Et convertimini ad dominum deum vestrum. quia benignus et mi-